

9a Augusti

In festo S. THERESIAE BENEDICTAE A CRUCE, Virginis et martyris
HYMNUS AD VESPERAS

Te gentis Hebraeae decus,
aqua renatam filiam
illuminatam caelitus
salutis ingredi viam

avulsum et iterum stipiti
insertum olivae surculum
te confitemur gratiae
pignus Dei mirabile.

Altam petis scientiam
scriptis Aquinatis satam
Carmelitanique ordinis
intras domum novicia.

A calle pertinaciae
conversa ad astra fulgida
sanctissimi mysterii
amplecteris sacram crucem.

Foris furentibus feris
crudi ducis cohortibus
Bataviae tranquillus
asylum ad exterum fugis.

Sed ex sororum tegmine
scelestia te rapit manus
et victimam tot victimis
stirpis perosae congregat.

Errantibus pro fratribus
ut Agnus ictus et tuis
tandem probetur omnibus,
caedem libenter suscipis.

Pater benigne, praebeas
per Sponsam ut istam Filii
Nato, Tibi, Paraclito
vox nostra laudes concinat.

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM